

flavoque striatis nigris, apice quoque elytrorum truncato. In meis autem elytra sunt coloris castanei, lævia excepta stria unica ad suturam elytrorum, femora quoque sunt mutica; alteri rostrum est apice dilatatum ut in *C. anchor.*; elytra quoque huic sunt in caudam quasi producta, oculi et regio thoracis circa caput rubent. Alteri rostrum est subulatum elytrorumque apices bidentati, oculi nigri, sed regio thoracis juxta caput rubet. Antennis discedunt omnes à reliquis curculionibus, utrum sint species distinctæ vel varietates sexus? Si sunt varietates, attentionem tamen merentur, nam vidi de singulis duo specimina, invicem quoad omnia perfecte convenientia. Dari pleuronecten hypoglossum oculis sinistris refert Rev. Dnus. Ström Söndmör I. p. 300. Piscem nuperime vidi Islandicum longitud. circiter 2 ulnar. latitud. circiter $\frac{1}{2}$ uln. corpore admodum compresso, pinna ventrali nulla, quantum ex inspectione momentanea judicare licebat. Ni fallor est *Lepturus* Artedi sed cauda est pinnata. Inter collectanea est Societatis scientiarum una cum *Onisco* pedibus 6. ideoque sub nomine pediculi mihi ab Islando monstrabatur, qui tamen eum in humidis terræ habitare referebat. Foemina hujus ovario erat instructa.

Americanas naturæ gazas colligere jam parat Civium Hafniensium laudatissimus et opulentissimus Vir Dnus Ryberg, mercator aulæ Regiæ (Hof-Agënt) nec ei erit difficile, siquidem plurimas sic dictas colonias americanas ipse possidet. Lignorum pulchram acquisivit collectionem, quorum ramulos fructificantes jam arcessiri curat.

Favore insigni Mæcenatis mei, Patroni universitatis hujus Dni Excell: Ottonis de Thott exteras terras visitare ad studium historiæ naturalis et oeconomicum excolendum æstate bono cum Deo aggredior. Mense Augti Lugdunum Batav: redit ex peregrinatione sua Dnus Pennant, qui me tunc temporis ibidem adesse invitavit literis, ut eum in Angliam sequar. Hujus viri tantum favorem renuere haud debeo. Itaque Angliam deserens summo cum desiderio, volente Deo, Upsaliam proficiscar. Interim conatibus meis favorem ap-